



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ioannis|| Climaci Ab-||batis Montis|| Synai,|| Scala Paradisi**

**Johannes <Climacus>**

**Coloniae, 1583**

**VD16 J 520**

Vita Ioannis Anachoretæ, qui in Spelunca Villæ Sochus morabatur. Capvt  
CLXXX.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55433)

Anachoreta. Et vnde nutritis? Illa verò cilicium, & infusa proferens, dixit Anachoretæ: Ecce cilicium istud, quod vides, mecum de ciuitate exijt, & ista' pauca infusa. Talemque dispensationem in me humilem ostendit Deus, vt tanto tempore istis nutriar, neq; imminuta sint. Et hoc autē scito, pater, quia sic me ipsius benignitas protexit, vt per istos decem & septem annos nullus homo me viderit, nisi tu solus hodie. Ego autem aspicebam omnes. Et hæc audiens Anachoreta magnificè glorificauit Deum.

*1 Vide tenuitatem victus sanctimonialis femine.*

*Vita Ioannis Anachoretæ, qui in Spelunca Villa Sochus morabatur.*

## CAPVT CLXXX.

**N**arrauit nobis sanctissimus Dionysius presbyter sanctæ Ecclesiæ Ascalonitarū, & sacrorum vasorum custos, de Abbate Ioanne Anachoreta, dicens: Quasi verè magnus in generatione ista fuit: atque ad commendationem summorum illius apud Deum meritorum, hoc de ipso miraculum narrabat: In spelunca, inquit, morabatur senex, in partibus villæ; quæ dicitur Sochus, viginti ferè miliarib; ab Hierusalem. Habebat autē senex in spelunca 2 imaginem immaculatæ Dominæ nostræ Dei genitricis, semperq; virginis Mariæ, in vlnis ferentem Christum Dominum, & Saluatorem nostrum. Quoties igitur abire volebat ad locum aliquem, vel per vastam solitudinem, siue 3 Hierosolymam, ad 4 adorandam sanctam Crucem, & venerabilia loca, vel in Sinai montem orationis gratia, siue ad Martyres distantes ab Hierosolymis multis prolixisque interuallis (Erat enim senex Martyrum re-

uerentia mirabiliter deditus, & nunc quidem pergebat Ephesum, ad sanctum Ioannem, nunc autem Euchaitam ad sanctum Theodorum, nunc vero ad sanctam Theclam in Seleuciam Isauria, nunc ad sanctum Sergium in Saraphas, & modo ad istum, modò ad illum sanctum) reficiebat candelam, & accendebat, vt sibi consuetudo erat, atque ad orationem stans, & Deo vt suum iter dirigeret, supplicans, dicebat ad Dominam, intendens in s<sup>i</sup> imaginē ipsius: Sancta domina<sup>6</sup> nostra Dei genitrix, quia longum iter iturus sum diebus multis perficiendum, candelæ tuæ tu curam habe, eamque ne extingatur iuxta propositum meum serua. Ego enim adiutorio tuo comitante, iter arripio, Hisque ad imaginem dictis, egrediebatur, peractoque proposito itinere, reuertebatur, aliquando post mensem, sæpè etiam post duos, vel tres menses, nonnunquam post quinque, vel sex, & ita reperiebat 7 integram candelam, & ardentem, sicut eam, cùm iter arripere dimiserat, & nunquã hanc à seipsa extingui vidit neque de somno surgens, neque à peregrinatione rediens, neque ex eremo in speluncam perges.

- 1 Ecce quomodo Sancti merita habent etiam summa apud deum.
- 2 Ex hoc capite multa colligis contra novos hereticos Primum, vsum imaginum fuisse apud sanctos patres veteres.
- 3 Secundum, fuisse etiam in v<sup>s</sup>u peregrinationes ad loca sancta, & ad sanctos martyres.
- 4 Tertium, quòd sancta Crux adorari debet.
- 5 Quartum, quòd licet orare ante imagines.
- 6 Quintum, quòd licet cum imagine loquamur, mentium semper referenda est ad imaginatum.
- 7 Sextum, per imaginem Deū ingens hic adidisse miracula.